

Table of Contents

- [§. I. Auctoris epistola ad Amicum](#), p. 266
 - [CAPUT I.](#), p. 267
 - [CAPUT II.](#), p. 270
 - [CAPUT III.](#), p. 278
 - [CAPUT IV.](#), p. 285
 - [CAPUT V.](#), p. 288
 - [CAPUT VI.](#), p. 291
 - [CAPUT VII.](#), p. 301
 - [CAPUT VIII.](#), p. 317
 - [CAPUT IX.](#), p. 340
 - [CAPUT X.](#), p. 347
 - [CAPUT XI.](#), p. 352
-

conditione deducenda sunt, quod in sequenti capite facere constitui.

CAPUT II. ↩

§. I. In nostro *Tractatu theologico-politico* de jure naturali, et civili egimus, et in nostrâ *Ethicâ* explicuimus, quid peccatum, quid meritum, quid justitia, quid injustitia, et quid denique humana libertas sit. Sed ne ii, qui hunc tractatum legunt, opus habeant ea, quae ad hunc ipsum tractatum maximè spectant, in aliis quaerere, ea hic iterum explicare, et apodicticè demonstrare constitui.

§. II. Res quaecunque naturalis potest adaequatè concipi, sive existat, sive non existat ; ut igitur rerum naturalium existendi principium, sic earum in existendo perseverantia ex earum definitione non potest concludi. Nam earum essentia idealis eadem est, postquam existere inceperunt, quàm antequam existerent. Ut ergo earum existendi principium ex earum essentiâ sequi nequit, sic nec earum in existendo perseverantia : sed eâdem potentiâ, quâ indigent, ut existere incipiant, indigent, ut existere pergant. Ex quo sequitur, rerum naturalium potentiam, quâ existunt, et consequenter quâ operantur, nullam aliam esse posse, quàm ipsam Dei aeternam potentiam. Nam si quae alia creata esset, non posset seipsam, et consequenter neque res naturales conservare ; sed ipsa etiam eâdem potentiâ, quâ indigeret, ut crearetur, indigeret, ut in existendo perseveraret.

§. III. Hinc igitur, quòd scilicet rerum naturalium potentia, quâ existunt, et operantur, ipsissima Dei sit potentia, facilè intelligimus, quid jus naturae sit. Nam quoniam Deus jus ad omnia habet, et jus Dei nihil aliud est, quàm ipsa Dei potentia, quatenus haec absolutè libera consideratur, hinc sequitur, unamquamque rem naturalem tantum juris ex naturâ habere, quantum potentiae habet ad existendum, et operandum : quandoquidem [271] uniuscujusque rei naturalis potentia, quâ existit, et operatur, nulla alia est, quàm ipsa Dei potentia, quae absolutè libera est.

§. IV. Per jus itaque naturae intelligo ipsas naturae leges, seu regulas, secundum quas omnia fiunt, hoc est, ipsam naturae potentiam ; atque adèd totius naturae, et consequenter uniuscujusque individui naturale jus eò usque se extendit, quòd ejus potentia ; et consequenter quicquid unusquisque homo ex legibus suae naturae agit, id summo naturae jure agit, tantumque in naturam habet juris, quantum potentiâ valet.

§. V. Si igitur cum humanâ naturâ ità comparatum esset, ut homines ex solo rationis praescripto viverent, nec aliud conarentur, tum naturae jus, quatenus humani generis proprium esse consideratur, solâ rationis potentiâ determinaretur. Sed homines magis caecâ cupiditate, quàm ratione ducuntur, ac proinde hominum naturalis potentia, sive jus non ratione, sed quocunque appetitu, quo ad agendum determinantur, quoque se conservare conantur, definiri debet. Equidem fateor, cupiditates illas, quae ex ratione non oriuntur, non tamen actiones, quàm passiones esse humanas. Verum quia hîc de naturae universali potentiâ, seu jure agimus, nullam hîc agnoscere possumus differentiam inter cupiditates, quae ex ratione, et inter illas, quae ex aliis causis in nobis ingenerantur : quandoquidem tam hae, quàm illae effectûs naturae sunt, vimque naturalem explicant, quâ homo in suo esse perseverare conatur. Est enim homo, sive sapiens, sive ignarus sit, naturae pars, et id omne, ex quo unusquisque ad agendum determinatur, ad naturae potentiam referri debet, nempe quatenus haec per naturam hujus, aut illius hominis definiri potest. Nihil namque homo, seu ratione, seu solâ cupiditate ductus, agit, nisi secundum leges, et regulas naturae, hoc est (per [art. 4 hujus cap.](#)), ex naturae jure.

§. VI. At plerique, ignaros naturae ordinem magis perturbare, quàm sequi, credunt, et homines in naturâ veluti imperium in imperio concipiunt. Nam mentem humanam a nullis causis naturalibus statuunt produci, sed à Deo immediatè creari, a reliquis rebus adèd independentem, ut absolutam habeat potentiam sese [272] determinandi, et ratione rectè

necessaria sunt, comparare possit, sequitur statum civilem homines naturâ appetere, nec fieri posse, ut homines eundem unquam penitùs dissolvant.

§. II. Ex discordiis igitur, et seditionibus, quae in civitate saepe concitantur, nunquam fit, ut cives civitatem dissolvant (ut in reliquis societatibus saepe evenit), sed ut ejusdem formam in aliam mutant, si nimirum contentiones sedari nequeunt servatâ civitatis facie. Quare media, quae ad imperium conservandum requiri dixi, ea intelligo, quae ad imperii formam absque ullâ ejus notabili mutatione conservandam necessaria sunt.

§. III. Quòd si cum humanâ naturâ ità comparatum esset, ut homines id, quod maximè utile est, maximè cuperent, nullâ esset opus arte ad concordiam, et fidem ; sed quia longè aliter cum naturâ humanâ constitutum esse constat, imperium necessariò ità [292] instituendum est, ut omnes, tam qui regunt, quàm qui reguntur, velint nolint, id tamen agant, quod communis salutis interest, hoc est, ut omnes sponte, vel vi, vel necessitate coacti sint ex rationis praescripto vivere ; quod sit, si imperii res ità ordinentur, ut nihil, quod ad communem salutem spectat, ullius fidei absolutè committatur. Nemo enim tam vigilans est, qui aliquando non dormitet, et nemo tam potenti, tamque integro animo fuit, qui aliquando, et praesertim quando maximè animi fortitudine opus est, non frangeretur, ac pateretur vinci. Et sanè stultitia est ab alio id exigere, quod nemo a se ipso impetrare potest, nempe, ut alteri potiùs, quam sibi vigilet, ut avarus non sit, neque invidus, neque ambitiosus, etc., praesertim is, qui omnium affectuum incitamenta maxima quotidie habet.

§. IV. At experientia contrà docere videtur, pacis, et concordiae interesse, ut omnis potestas ad unum conferatur. Nam nullum imperium tamdiu absque ullâ notabili mutatione stetit, quàm Turcarum, et contrà nulla minùs diuturna, quàm popularia, seu democratica fuerunt, nec ulla, ubi tot seditiones moverentur. Sed si servitium, barbaries et solitudo pax appellanda sit, nihil hominibus pace miserius. Plures sanè, et acerbiores contentiones inter parentes, et liberos, quàm inter dominos, et servos moveri solent, nec tamen oeconomiae interest jus paternum in dominium mutare, et liberos perinde, ac servos habere. Servitutis igitur, non pacis, interest, omnem potestatem ad unum transferre : nam pax, ut jam diximus, non in belli privatione, sed in animorum unione, sive concordia consistit.

§. V. Et sanè, qui credunt posse fieri, ut unus solus summum civitatis jus obtineat, longè errant. Jus enim solâ potentiâ determinatur, ut [capite 2](#) ostendimus : at unius hominis potentia longè impar est tantae moli sustinendae. Unde fit, ut, quem multitudo regem elegit, is sibi imperatores quaerat, seu consiliaros, seu amicos, quibus suam, et omnium salutem committit, ita ut imperium, quod absolutè monarchicum esse creditur, sit reverâ in praxi aristocraticum, non quidem manifestum, sed latens, et propterea pessimum. Ad quod accedit, quòd rex, puer, aeger, aut [293] senectute gravatus, precariò rex sit, sed ii reverâ summam potestatem habeant, qui summa imperii negotia administrant, vel qui regi sunt proximi ; ut jam taceam, quòd rex, libidini obnoxius, omnia saepe moderetur ex libidine unius, aut alterius pellicis, aut cinaedi. *Audieram*, inquit Orsines, *in Asia olim regnâsse foeminas : hoc verò novum est, regnare castratum*, Curtius lib. X cap. 1.

§. VI. Est praeterea hoc certum, quòd civitas semper magis propter cives, quàm propter hostes periclitur : rari quippe boni. Ex quo sequitur, quòd is, in quem totum imperii jus delatum est, magis cives, quàm hostes semper timebit, et consequenter sibi cavere, et subditis non consulere, sed insidiari conabitur, iis praecipuè, qui sapientiâ clari, vel divitiis potentiores sunt.

§. VII. Accedit praeterea, quòd reges filios etiam plùs timent, quàm amant, et eò magis, quòd pacis, bellique artes magis callent, et subditis ob virtutes dilectiores sunt. Unde fit, ut eos ità educare studeant, ut causa timendi absit. Quâ in re officarii promptissimè regi obsequuntur, et studium adhibebunt summum, ut regem successorem rudem habeant, quem

arte tractare possint.

§. VIII. Ex quibus omnibus sequitur, regem eò minùs sui juris, et subditorum conditionem eò miseriorem esse, quò magis absolutè civitatis jus in eundem transfertur : atque adeò necesse est, ad imperium monarchicum ritè stabiliendum, fundamenta jacere firma, quibus superstruatur : ex quibus monarchae securitas, et multitudini pax sequatur ; ac proinde, ut monarcha tum maximè sui juris sit, cùm maximè multitudinis saluti consulit. Quenam autem haec imperii monarchici fundamenta sint, primùm breviter proponam, et deinde ordine ea ostendam.

§. IX. Urbs una, aut plures condendae, et muniendae sunt, quarum omnes cives, sive ii intra moenia, sive extra propter agriculturam habitent, eodem civitatis jure gaudeant ; eâ tamen conditione, ut unaquaeque certum civium numerum ad sui, et communem defensionem habeat ; quae autem id praestare nequit, aliis conditionibus in ditone habenda.

§. X. Militia ex solis civibus, nullo excepto, formanda est, et ex nullis aliis ; atque adeò omnes arma habere teneantur, et nullus [294] in civium numerum recipiatur, nisi postquam exercitium militare didicerit, illudque signatis anni temporibus exercere pollicitus fuerit. Deinde, uniuscujusque familiae militiâ in cohortes, et legiones divisâ, nullius cohortis dux eligendus, nisi qui architecturam militarem noverit. Porrò cohortium, et legionum duces ad vitam quidem, sed qui unius familiae integrae militiae imperet, in bello tantummocò eligendus, qui annum ad summum imperium habeat, nec continuari in imperio, nec postea eligi possit. Atque hi eligendi sunt ex regis consiliariis (de quibus art. 15 et seqq. dicendum), vel qui officio consilarii functi sunt.

§. XI. Omnium urbium incolae, et agricolae, hoc est, omnes cives in familias dividendi sunt, quae nomine, et insigni aliquo distinguantur, et omnes ex aliquâ harum familiarum geniti in civium numerum recipiantur, eorumque nomina in catalogum eorum familiae redigantur, simulac eò aetatis pervenerint, ut arma ferre, et officium suum noscere possint ; iis tamen exceptis, qui ob scelus aliquod infames, vel qui muti, vesani, et famuli sunt, qui servili aliquo officio vitam sustentant.

§. XII. Agri, et omne solum, et, si fieri potest, domûs etiam publici juris sint, nempe ejus, qui jus civitatis habet, a quo annuo pretio civibus, sive urbanis, et agricolis locentur ; et praeterea omnes ab omni exactione tempore pacis liberi, sive immunes sint. Atque hujus pretii alia pars ad civitatis munimenta, alia ad usum domesticum regis referenda est. Nam tempore pacis urbes tanquam ad bellum munire, et praeterea naves, et reliqua instrumenta bellica parata necesse est habere.

§. XIII. Electo rege ex aliquâ familiâ, nulli nobiles censendi, nisi a rege oriundi, qui propterea insignibus regiis a suâ, et a reliquis familiis distinguantur.

§. XIV. Regis consanguinei nobiles masculi, qui ei, qui regnat, gradu consanguinitatis tertio, aut quarto propinqui sunt, uxorem ducere prohibeantur, et si quos liberos procreaverint, illegitimi habeantur, et omni dignitate indigni, nec parentum haeredes agnoscantur, sed eorum bona ad regem redeant.

§. XV. Regis praeterea consilarii, qui ei proximi, vel dignitate [295] secundi sunt, plures esse debent, et non, nisi ex civibus, eligendi ; nempe, ex unâquâque familiâ tres, aut quatuor, aut quinque (si familiae non plures, quàm sexcentae, fuerint), qui simul unum hujus concilii membrum constituent, non ad vitam, sed in tres, aut quatuor, aut quinque annos, ita ut singulis annis eorum tertia, quarta, aut quinta pars nova eligatur ; in quâ electione tamen apprimè observandum, ut ex unâquâque familiâ unus ad minimum juris peritus consiliarius eligatur.

§. XXXVIII. Si rex liberis masculis orbis obierit, ille, qui ipsi sanguine proximus, haeres imperii habendus, nisi fortè uxorem extraneam duxerit, quam repudiare nolit.

§. XXXIX. Ad cives quod attinet, patet ex art. 5 cap. 3 [301] eorum unumquemque ad omnia regis mandata, sive edicta a concilio magno promulgata (vide de hâc conditione [art. 18](#) et [19 hujus capituli](#)) obtemperare debere, tametsi eadem absurdissima credat, vel jure ad id cogi. Atque haec imperii monarchici fundamenta sunt, quibus superstrui debet, ut stabile sit, quemadmodum in sequentibus capitibus demonstrabimus.

§. XL. Ad religionem quod attinet, nulla planè templa urbium sumptibus aedificanda, nec jura de opinionibus statuenda, nisi seditiolae sint, et civitatis fundamenta evertant. Ii igitur, quibus religionem publicè exercere conceditur, templum si velint, suis sumptibus aedificent. At rex ad religionem, cui addictus est, exercendam templum in aulâ sibi proprium habeat.

CAPUT VII. ↩

§. I. Imperii monarchici fundamentis explicatis, eadem hâc ordine demonstrare suscepi ; ad quod apprimè notandum est, praxi nullo modo repugnare, quòd jura adeò firma constituentur, quae nec ab ipso rege aboleri queant. Persae enim reges suos inter deos colere solebant, et tamen ipsi reges potestatem non habebant jura semel instituta revocandi, ut ex Dan. cap. 6 patet ; et nullibi, quod sciam, monarcha absolutè eligitur, nullis expressis conditionibus. Imò nec rationi, nec obedientiae absolutae, quae regi debetur, repugnat ; nam fundamenta imperii veluti regis aeterna decreta habenda sunt, adeò ut ejus ministri ei omninò obediant, si, quando aliquid imperat, quod imperii fundamentis repugnat, mandata exequi velle negent. Quòd exemplo Ulissis clarè explicare possumus. Socii enim Ulissis ipsius mandatum exequabantur, quando navis malo alligatum, et cantu Syrenum mente captum, religare noluerunt, tametsi id modis multis minitendo imperabat, et prudentiae ejusdem imputatur, quòd postea sociis gratias egerit, quòd ex primâ ipsius mente ipsi obtemperaverint. Et ad hoc Ulissis exemplum solent etiam reges judices instruere, ut scilicet justitiam exerceant, nec quenquam respiciant, nec ipsum regem, si quid singulari aliquo casu imperaverit, quod contra [302] institutum jus esse noverint. Reges enim non dii, sed homines sunt, qui Syrenum capiuntur saepe cantu. Si igitur omnia ab inconstanti unius voluntate penderent, nihil fixum esset. Atque adeò imperium monarchicum, ut stabile sit, instituendum est, ut omnia quidem ex solo regis decreto fiant, hoc est, ut omne jus sit regis explicata voluntas ; at non ut omnis regis voluntas jus sit, de quo vide [art. 3, 5](#) et [6 praec. cap.](#)

§. II. Deinde notandum, quòd in jaciendis fundamentis maximè humanos affectûs observare necesse est, nec ostendisse sufficit, quid oporteat fieri, sed apprimè, quâ fieri possit, ut homines, sive affectu, sive ratione ducantur, jura tamen rata, fixaque habeant. Nam si imperii jura, sive libertas publica solo invalido legum auxilio nitatur, non tantùm nulla ejus obtinendae erit civibus securitas, ut [art. 3 cap. praec.](#) ostendimus, sed etiam exitio erit. Nam hoc certum est, nullam civitatis conditionem miseriorem esse, quàm optimae, quae labascere incipit, nisi uno actu, et ictu cadat, et in servitutum ruat (quod sanè impossibile videtur esse), ac proinde subditis multò satiùs esset suum jus absolutè in unum transferre, quàm incertas, et vanas, sive irritas libertatis conditiones stipulari, atque ità posteris iter ad servitutum crudelissimam parare. At si imperii monarchici fundamenta, quae in praec. cap. retuli, firma esse ostendero, nec divelli posse, nisi cum indignatione maximae partis armatae multitudinis, et ex iis regi, et multitudini pacem, et securitatem sequi, atque haec ex communi naturâ deduxero, dubitare nemo poterit eadem optima esse, et vera, ut patet ex [art. 9 cap. 3](#) et [art. 3](#) et [8 praec. cap.](#) Quod autem hujus illa naturae sint, quàm paucis potero, ostendam.

§. III. Quòd officium ejus, qui imperium tenet, sit imperii statum, et conditionem semper noscere, et communi omnium salutis vigilare, et id omne, quod majori subditorum parti utile est, efficere, apud omnes in confesso est. Cùm autem unus solus omnia perlustrare nequeat,

subditorum erga regem. Sed postquam regnum castellae Ferdinando, qui omnium primus catholicus nuncupatus fuit, haereditate cessit, incepit haec Arragonensium libertas Castellanis esse invisâ, qui propterea ipsum Ferdinandum suadere non cessabant, ut jura illa rescinderet. At ille, nondum imperio absoluto assuetus, nihil tentare ausus, consiliariis haec respondit : *Praeterquam quòd Arragonensium regnum iis, quas noverunt, conditionibus acceperit, quòdque easdem servare sanctissimè juraverit, et praeterquam quòd inhumanum sit fidem datam solvere, se in animum induxisse, suum regnum stabile fore, quamdiu securitatis ratio non major regi, quàm subditis esset, ità ut nec rex subditis, nec contrà subditi regi praeponderarent ; nam si alterutra pars potentior evadat, pars debilior non tantùm pristinam aequalitatem recuperare, sed dolore accepti damni in alteram contrà referre conabitur, unde vel alterutrius, vel utriusque ruina sequeretur.* Quae sanè sapientia verba non satis mirari possem, si prolata fuissent a rege, qui servis, non liberis hominibus imperare consuevisset. Retinuerunt igitur [317] Arragonenses post Ferdinandum libertatem, non jam jure, sed regum potentiorum gratiâ usque ad Philippum secundum, qui eosdem feliciori quidem fato, sed non minori saevitiâ, quàm Confoederatorum Provincias oppressit. Et quamvis Philippus tertius omnia in integrum restituisse videatur, Arragonenses tamen, quorum plerique cupidine potentioribus assentandi (nam inscitia est contra stimulos calces mittere), et reliqui metu territi, nihil praeter libertatis speciosa vocabula, et inanes ritûs retinuerunt.

§. XXXI. Concludimus itaque multitudinem satis amplam libertatem sub rege servare posse, modò efficiat, ut regis potentia solâ ipsius multitudinis potentiâ determinetur, et ipsius multitudinis praesidio servetur. Atque haec unica fuit regula, quam in jaciendis imperii monarchici fundamentis sequutus sum.

CAPUT VIII. ↩

Quòd imperium aristocraticum magno patriciorum numero constare debet : de ejus praestantiâ, et quòd ad absolutum magis, quàm monarchicum accedat et hâc de causâ libertati conservandae aptius sit

§. I. Huc usque de imperio monarchico. Quâ autem ratione aristocraticum instituendum sit, ut permanere possit, hîc jam dicemus. Aristocraticum imperium illud esse diximus, quod non unus, sed quidam ex multitudine selecti tenent, quos imposterum patricos appellabimus. Dico expresse, quod quidam selecti tenent. Nam haec praecipua est differentia inter hoc, et democraticum imperium, quòd scilicet in imperio aristocratico gubernandi jus a solâ electione pendeat : in democratico autem maximè a jure quodam innato, vel fortunâ adepto (ut suo loco dicemus), atque adeò, tametsi imperii alicujus integra multitudo in numerum patriciorum recipiatur, modò illud jus haereditarium non sit, nec lege aliquâ communi ad alios descendat, imperium tamen aristocraticorum omnino erit. Quandoquidem nulli, nisi [318] expressè electi, in numerum patriciorum recipiuntur. At si hi duo tantummodò fuerint, alter altero potior esse conabitur, et imperium facilè, ob nimiam uniuscujusque potentiam, in duas partes dividetur, et in tres, aut quatuor, aut quinque, si tres, aut quatuor, aut quinque id tenerint : sed partes eò debiliores erunt, quò in plures ipsum imperium delatum fuerit : ex quo sequitur, in imperio aristocratico, ut stabile sit, ad minimum patriciorum numerum determinandum, necessariò habendam esse rationem magnitudinis ipsius imperii.

§. II. Ponatur itaque pro mediocris imperii magnitudine satis esse, ut censum optimi viri dentur, in quos summa imperii potestas delata sit, et quibus consequenter jus competat collegas patricos eligendi, quando eorum aliquis vitâ excessit. Hi sanè omni modo conabuntur, ut eorum liberi, vel qui iis sanguine proximi sunt, sibi succedant : unde fiet, ut summa imperii potestas semper penes eos erit, quos fortuna patriciis liberos, aut consanguineos dedit, et quia ex centum hominibus, qui fortunae causâ ad honores ascendunt, vix tres reperiuntur, qui arte, et consilio pollent, vigentque, fiet ergo, ut imperii potestas non penes centum, sed penes duos tantummodò, aut tres sit, qui animi virtute pollent, quidque

§. XLVIII. Quos lex jurare cogit, a perjurio multò magis cavebunt, si per salutem patriae, et libertatem, perque supremum concilium, quam si per Deum jurare jubeantur. Nam, qui per Deum jurat, privatum bonum interponit, cujus ille aestimator est : at qui jurejurando libertatem, patriaeque salutem interponit, is per commune omnium bonum, cujus ille aestimator non est, jurat, et, si pejerat, eo ipso se patriae hostem declarat.

§. XLIX. Academiae, quae sumptibus reipublicae fundantur, non tam ad ingenia colenda, quàm ad eadem coërcenda instituuntur. Sed in liberâ republicâ tum scientiae, et artes optimè excoluntur, si unicuique veniam petenti concedatur publicè docere, idque suis sumptibus, suaeque famae periculo. Sed haec, et similia ad alium locum reservo. Nam hîc de iis solummodò agere constitueram, quae ad solum imperium aristocraticum pertinent.

CAPUT IX. ↩

§. I. Huc usque hoc imperium consideravimus, quatenus ab unâ solâ urbe, quae totius imperii caput est, nomen habet. Tempus jam est, ut de eo agamus, quod plures urbes tenent, quodque ego praecedenti praefendum existimo. Sed ut utriusque differentiam, et praestantiam noscamus, singula praecedentis imperii fundamenta perlustrabimus, et, quae ab hoc aliena sunt, rejiciemus, et alia, quibus niti debeat, eorum loco jaciemus.

§. II. Urbes itaque, quae civitatis jure gaudent, ità conditae, et munitae esse debent, ut unaquaeque sola sine reliquis subsistere quidem non possit, sed contrà etiam, ut a reliquis deficere nequeat absque magno totius imperii detrimento ; hoc enim modo semper unitae manebunt. At quae ità constitutae sunt, ut nec se conservare, [341] nec reliquis formidini esse queant, eae sanè non sui, sed reliquarum juris absolutè sunt.

§. III. Quae autem art.9 et 10 praec. cap. ostendimus, ex communi imperii aristocratici naturâ deducuntur, ut et ratio numeri patriciorum ad numerum multitudinis, et qualis eorum aetas, et conditio esse debeat, qui patricii sunt creandi, ità ut nulla circa haec oriri possit differentia, sive imperium una, sive plures urbes teneant. At supremi concilii alia hic debet esse ratio. Nam, si quae imperii urbs supremo huic concilio congregando destinaretur, illa reverâ ipsius imperii caput esset ; atque adeò vel vices servandae essent, vel talis locus huic concilio esset designandus, qui civitatis jus non habeat, quique ad omnes aequè pertineat. Sed tam hoc, quàm illud, ut dictu facilè, ità factu difficile est, ut scilicet tot hominum millia extra urbes saepe ire, vel ut jam hoc, jam alio in loco convenire debeant.

§. IV. Verùm ut rectè, quid in hâc re fieri oporteat, et quâ ratione hujus imperii concilia instituenda sint, ex ipsius naturâ, et conditione concludere possimus, haec considerata sunt, nempe quòd unaquaeque urbs tantò plus juris, quàm vir privatus habeat, quantò viro privato potentior est (per art. 4 cap. 2) ; et consequenter unaquaeque hujus imperii urbs (vide art. 2 hujus cap.) tantum juris intra moenia, seu suae jurisdictionis limites habeat, quantum potest. Deinde quòd omnes urbes non ut confoederatae, sed ut unum imperium constituentes invicem sociatae, et unitae sint, sed ità, ut unaquaeque urbs tantò plus juris in imperium, quàm reliquae obtineat, quantò reliquis est potentior ; nam qui inter inaequales aequalitatem quaerit, absurdum quid quaerit. Cives quidem aequales meritò aestimantur, quia uniuscujusque potentia cum potentiâ totius imperii comparata nullius est considerationis. At urbis cujuscunque potentia magnam partem potentiae ipsius imperii constituit, et eò majorem, quòd ipsa urbs major est ; ac proinde omnes urbes aequales haberi nequeunt. Sed ut uniuscujusque potentia, ità etiam ejusdem jus ex ipsius magnitudine aestimari debet. Vincula verò, quibus adstringi debent, ut unum imperium componant, [342] apprimè sunt (per art. 1 cap. 4) Senatus, et forum. Quomodò autem eae omnes his vinculis ità copulandae sunt, ut earum tamen unaquaeque sui juris, quantum fieri potest, maneat, breviter hîc ostendam.

conabuntur multitudinem ad se trahere, et consequenter imperium beneficiis magis, quam metu [346] agitare tunc, suumque numerum augere: quippe quo plures numero fuerint, eo plures (per Art. 6. hujus Cap.) ex suo Concilio Senatores eligent, et consequenter (per Art. eundem) plus juris in imperio obtinebunt. Nec obstat, quod, dum unaquaeque urbs sibi consulit, reliquisque invidet, saepius inter se discordent, et tempus disputando consumant. Nam, si, dum Romani deliberant, perit Sagunthus, dum contra pauci ex solo suo affectu omnia decernunt, perit libertas, communeque bonum sunt namque humana ingenia hebetiora, quam ut omnia statim penetrare possint; sed consulendo, audiendo, et disputando acuuntur, et, dum omnia tentant media, ea, quae volunt, tandem inveniunt, quae omnes probant, et de quibus nemo antea cogitasset. Quod si quis regerat, hoc Hollandorum imperium non diu absque Comite, vel Vicario, qui vicem Comitis suppleret, stetisse, hoc sibi responsum habeat, quod Hollandi ad obtinendam libertatem satis putaverunt Comitem deserere, et imperii corpus capite obtruncare, nec de eodem reformando cogitarunt; sed omnia ejus membra, uti antea constituta fuerant, reliquerunt, ita ut Hollandiae comitatus sine Comite, veluti corpus sine capite, ipsumque imperium sine nomine manserit. Atque adeo minime mirum, quod subditi plerique ignoraverint, penes quos summa esset imperii potestas. Et quamvis hoc non esset, ii tamen, qui imperium revera tenebant, longe pauciores erant, quam ut multitudinem regere, et potentes adversarios opprimere possent. Unde factum, ut hi saepe impune iis insidiari, et tandem evertere potuerint. Subita itaque ejusdem Reipublicae eversio non ex eo orta est, quod tempus in deliberationibus inutiliter consumeretur, sed ex deformi ejusdem imperii statu, et paucitate regentium.

§. XV. Est praeterea hoc Aristocraticum imperium, quod plures urbes tenent, alteri praefendum, quia non opus est, ut in praecedenti, cavere, ne universum supremum ejus Concilium subito impetu opprimatur, quandoquidem (per Art. 9. hujus Cap.) eidem convocando nullum tempus, nec locus designatur. Sunt praeterea potentes cives in hoc imperio minus timendi. Nam, ubi plures urbes libertate gaudent, non sufficit ei, qui viam ad imperium affectat, urbem unam occupare, ut imperium in reliquis obtineat. Est [347] denique in hoc imperio libertas pluribus communis. Nam ubi una sola urbs regnat, eatenus reliquarum bono consulitur, quatenus regnanti huic urbi expedit.

CAPUT X. [↩](#)

§. I. Imperii utriusque Aristocratici fundamentis explicatis, et ostensis, superest ut inquiramus, an aliqua causa culpabili possint dissolvi, aut in aliam formam mutari. Primaria causa, unde hujusmodi imperia dissolvuntur, illa est, quam acutissimus Florentinus Disc. 1. lib. 3. in Tit. Livium observat, videlicet quod imperio, sicuti humano corpori quotidie aggregatur aliquid, quod quandoque indiget curatione; atque adeo necesse esse, ait, ut aliquando aliquid accidat, quo imperium ad suum principium, quo stabiliri incepit, redigatur. Quod si intra debitum tempus non acciderit, vitia eo usque crescent, ut tolli nequeant, nisi cum ipso imperio. Atque hoc, inquit, vel casu contingere potest, vel consilio, et prudentia legum, aut viri eximiae virtutis. Nec dubitare possumus, quin haec res maximi sit ponderis, et quod, ubi huic incommodo provisum non sit, non poterit imperium sua virtute, sed sola fortuna permanere, et contra ubi huic malo remedium idoneum adhibitum fuerit, non poterit ipsum suo vitio, sed solummodo inevitabili aliquo fato cadere, ut mox clarius docebimus. Primum quod huic malo remedium occurrebat, hoc fuit, ut scilicet singulis lustris supremus aliquis Dictator in mensem unum, aut duos crearetur, cui jus esset de Senatorum, et cujuscunque ministri factis cognoscendi, judicandi, et statuendi, et consequenter imperium ad suum principium restituendi. Sed qui imperii incommoda vitare studet, remedia adhibere debet, quae cum imperii natura convenient, et quae ex ipsius fundamentis deduci queant, alias in Scyllam incidet, cupiens vitare Charybdin. Est quidem hoc verum, quod omnes, tam qui regunt, quam qui reguntur, metu supplicii, aut damni contineri debeant, ne impune, vel cum lucro peccare liceat; sed contra certum etiam est, quod si hic metus bonis, et malis

reliquis sui juris sint, ut mulieres, et servos secluderem, qui in potestate virorum, et dominorum, ac etiam liberos et pupillos, quamdiu sub potestate parentum, et tutorum sunt. Dixi denique, honestesque vivunt, ut ii apprimè secluderentur, qui ob crimen, aut aliquod turpe vitae genus infames sunt.

§. IV. Sed forsitan rogabit aliquis, num foeminae ex naturâ, an ex instituto sub potestate virorum sint ? Nam, si ex solo instituto id factum est, nulla ergo ratio nos coëgit foeminas a regimine secludere. Sed si ipsam experientiam consulamus, id ex earum imbecillitate [354] oriri videbimus. Nam nullibi factum est, ut viri, et foeminae simul regnarent, sed ubicunque terrarum viri, et foeminae reperiuntur, ibi viri regnare, et foeminas regi videmus, et hâc ratione utrumque sexum concorditer vivere. Sed contrâ Amazonae, quas olim regnasse famâ prditum est, viros in patrio solo morari non patiebantur, sed foeminas tantummodò aiebant, mares autem, quos pepererant, necabant. Quòd si ex naturâ foeminae viris aequales essent, et animi fortitudine, et ingenio, in quo maximè humana potentia, et consequenter jus consistit, aequè pollerent, sanè inter tot, tanque diversas nationes quaedam reperirentur, ubi uterque sexus pariter regeret, et aliae ubi a foeminis viri regerentur, atque ità educarentur, ut ingenio minùs possent : quod cum nullibi factum sit, affirmare omninò licet, foeminas ex naturâ non aequale cum viris habere jus, sed eas viris necessariò cedere, atque adeò fieri non posse, ut uterque sexus pariter regat, et multò minus, ut viri a foeminis regantur. Quòd si praeterea humanos affectûs consideremus, quòd scilicet viri plerumque ex solo libidinis affectu foeminas ament, et earum ingenium, et sapientiam tanti aestiment, quantum ipsae pluchritudine pollent, et praeterea quòd viri aegerrimè ferant, ut foeminae, quas amant, aliis aliquo modo faveant, et id genus alia, levi negotio videbimus, non posse absque magno pacis detrimento fieri, ut viri, et foeminae pariter regant. Sed de his satis.

Reliqua desiderantur. ↩